Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 749
Quelle:
Copyright:

369. Illud in calce: *Perſeveres in gratia Chriſti*, Noſter omittit.

V. *fol.* 120. *Auguſtinus ad Jeronimum. de eo quod ſcriptum eſt. Qui totam legem ſeruabit offendit autem i. u. f. e. o. r.* Initium Epiſtolae: *Quod ad te ſcripſi Honorande* &c. ut T. II. *col.* 594. ubi eſt *n.* 167. Additur, ut quidem enuntiat Rubrica: *Reſcriptio beati Jeronimi*, illa videlicet, quae habetur T. *eod. col.* 612. n. 172. et incipit: *Uenerabili Papę* &c. *Uirum Uenerabilem fratrem meum filium dignationis tuę Oroſium* &c. T. I. edit. *Vallarſ. Hieronymi* legitur *col.* 1036. *n.* 134. Ab utroque Textu variat in quibusdam Exemplar noſtrum, nec adeo in deterius. Ita ſub finem ubi in Editis: *notariorum patimur penuriam*, in noſtro occurrit *iniuriam*, et re ipſa mox *Hieronymus* de fraude cujusdam conqueritur.

VI. *fol.* 129. *Incipit Retractatio librorum Beati Aug. epiſcopi.* Summarium puta II. *Librorum.* Nihil enim exhibetur, niſi Titulus et Initium Operum; neque id eo ordine, quo Edita T. I. *col.* 3. procedunt. Adeſt tamen illa in fine Concluſio: *Hęc opera nonaginta et tria* &c. item Recenſus ille Librorum ab *Auguſtino* poſt *Retractationes* ſcriptorum, qui incipit: *Libri qui poſt emendationem* &c. quemque *Mauriani* etiam ſe in aliquot vetuſtis Codd. a prima manu inveniſſe *col.* 63. teſtantur.

Codicem hunc ad Coenobium *Lunaelacenſe* pertinuiſſe probant adſcripta *pag. ult.* Επικηδεια III. a *Luitholdo* Monacho compoſita in *Chunradum* Abb. a. 1145. ob vindicata Eccleſiae ſuae Bona a malae fidei Poſſeſſoribus crudeliter interemtum, ut legere eſt in *Chronico* p. 123. ubi cum etiam iſthaec Carmina una cum *quarto*, quod jam ad *Ambroſium de Officiis* hoc *Vol.* dedi, impreſſa habeantur, ſupervacaneum duxi, ea denuo hic reddere, emendare e Codice contentus. Igitur in I. pro *qui legat iſta* repone *legit*. In II. pro *Eliciat tibi*, quamquam nec Codex aliter, manifeſte ſcribendum *Eliciatque*. In III. pro *domus atra tegit* Codex ἐμφατικωτερως *tegis*. Ceterum millenis aliis hujus aevi verſus hi potiores ſunt.

CCCXLIX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 183 XIV. Folior. nunc 99. f. per duas columnas probe ſcriptus, initiorum literis deauratis, picturatis, rubricisque diſtinctus, et quondam ab egregio illo *Vindobonenſium* Antiſtite *Joh. Fabro*, ut Nota impreſſa praefert, donatus Collegio ſuo ad D. *Nicolaum* complectitur *D. Auguſtini Libros VI. contra Julianum Pelagianum*, qui in Edit. *Maur.* T. X. *Opp.* P. 2. *col.* 497. leguntur. Folium 1. Codicis deperiit. Prima igitur verba nunc ſunt: *nupciarum ſcilicet bonum diſcernens ab eo malo. vnde trahitur originale peccatum*, quae in Edit. *cit.* mox poſt C. 2. initium reperias. Opus integrum, lectio proba eſt, ſi Graeca excipias ab imperitis linguae Scriptoribus deformata. Noſter nomen ſuum ad cal-